GERMANICÆ NATIONIS
ARTICULI
DE REFORMATIONE SUPREMI STATUS ECCLESIASTICI
In Constantiensi Concilio
in principio Anni 1418.
MARTINO V. PAPÆ
exhibiti.

Ex antiqvissimo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ DUCALIS GOTHANÆ.

ARTIC. I.
De numero, qualitate & Natione Dominorum Cardinalium.

Cardinales sint XVIII. vel XXIV.

SUper *primo* videtur *dictæ Nationi*, quod numerus *decem & octo* Dominorum *Cardinalium* prima facie sufficiat Ecclesiæ universali. (a) Si tamen *aliæ Nationes* deliberaverint de XXIV, *Natio Germanica* non reluctatur.

Sint docti prudentes & virtuosi.

Qvalitatem dictorum Dominorum in futurum creandorum admittit, prout est *in Reformatione avisata.* (b)

Distributionem autem *per Nationes singulas* faciendam, relinquit summo Pontifici. Ita tamen, quod *de qualibet natione* (c) aliqui *Cardinales*, quantocius fieri poterit, habeantur.

Ex omnibus Nationibus eligendi.

Nec aliqua natio, sine rationabili comparatione, aliam seu alias in hoc excedat: Sed servetur *æqualitas* quoad omnes, Romanæ Ecclesiæ & singularum nationum oportunitatibus, dispositionibus & circumstantiis ponderatis.

ARTIC. II. IV. V.
De Reservationibus sedis Apostolicæ.
De Collationibus beneficiorum & gratiis expectativis.
De Confirmationibus electionum.

Reformatorium à Martino V. in Concilio Const. constitutum.

SUper *secundo, quarto, quinto* articulis, *dicta Natio* dudum per modum *Supplicationis* aperuit mentem suam in quadam *Schedula*, Dominis *Cardinalibus, per sanctissimum Dominum ad reformationem deputatis*, exhibita: Sperans *dicta Natio*, quod dictus Dominus noster *summus Pontifex* gratiosum super hoc dabit responsum, aperiendo mentem suæ sanctitatis.

Parata nihilominus *eadem Natio* rationabilem æquitatem juxta qualitatem locorum, temporum & personarum, in hujusmodi tolerare, sic, quod *viris literatis & studiosis præ cæteris provideatur.*

Et *tenor Schedulæ* sequitur, & est talis:

Supplicat humiliter Natio Germanica, quatenus sedes Apostolica, deinceps reservationibus beneficiorum Ecclesiasticorum, clausis in Corpore Juris, contenta, quacunque seu qualiacunque aut quantumcunque Ecclesiastica beneficia generaliter aut specialiter ulterius non reservet.

Reservationes in jure canonico notatas Papa solum competere.

Sed re.

(a) Definitum hoc erat in Concilio *in illustri Reformatorum Collegio.* Vid. supra *Part. X. Statuta Reformatorii, cap. V. f.* 594.

(b) *V. Statuta Reformatorii*, supr. *Parte X. l. c.*

(c) Vid. supra *Parte IIX.* Canones Reformationis Cardinalis Petri de Alliaco, cap. II. f. 414. & *Parte IX.* Francisci Zabarellæ Capita Reformationis, Cap. VII. f. 515.

Ordinariorum Ecclesiæ Patronorum jura in vocandis ac cõstituendis personis Ecclesiasticis salva esse relinquẽda.

Sed electiones, confirmationes, collationes, provisiones, præsentationes, & quasvis alias dispositiones Ecclesiasticas, de Archi-Episcopalibus, Episcopalibus, & Abbatialibus, aliisq; dignitatibus, & prælaturis ac beneficiis Ecclesiasticis quibuscunque, in Corpore Juris sedi Apostolicæ non reservatis expresse, nec ad eandem devolutis, per metropolitanos, Episcopos, Prælatos, capitula vel collegia, & alios Patronos seu collatores Ecclesiasticos ordinario jure libere fieri permittat: Juxta dispositionem nonnullorũ generalium conciliorum antiquorum, atque mentem seu dispositionem fundatorum & dotatorum Ecclesiarum ac monasteriorum, aut beneficiorum Ecclesiasticorum, vel consuetudines seu institutiones rationabiles eorundem.

Salvo jure sedis Apostolicæ in Ecclesias & monasteria, sibi privilegio exemtionis, vel alias immediate subjectas seu subjecta.

Nec non, quod Papa quemlibet collatorem Ecclesiasticum, ad cujus collationem ultra quinque beneficia Ecclesiastica spectant, per unam in speciali, & aliam in forma pauperis duntaxat, gratias, cum clausula, si pro alio in tali forma non scripserit, possit onerare.

Sublatis & annullatis & extravagantium Regularum Cancellariæ, & aliis factis & faciendis reservationibus quibuscunque, in Juris Corpore non expressis. (d)

Reservationes Papales, in Regulis Cancellariæ expressas, repudiandas esse.

Sub prædictis autem gratiis in forma speciali, beneficia Ecclesiastica, quinque marcarum argenti valorem annuum non excedentia, non cadunt, seu veniant quovismodo.

ARTIC. III. & XVI.

De Annatis & communibus servitiis & minutis.

De Provisione Papæ & Cardinalium.

SUper *tertio* & *antepenultimo* articulis, videlicet *de Annatis* &c. & *de Provisionibus Domini nostri Papæ & Cardinalium* &c. avisavit *dicta natio*, quod de qualibet Ecclesia Cathedrali atque Abbatiali, cujus monasterium fuerit *immediate sedi Apostolicæ subjectum*, nec non de quolibet officio Ecclesiastico, *cujus confirmatio* seu provisio, demtis gratiis Expectativis, *per sedem Apostolicam* vel ejus autoritate *immediate fiet*: Et si quando *duntaxat infra quinquennium, à fine præsentis concilii* numerandum, vacaverit, & de eodem vel eadem fuerit dispositum: Illa vice, nisi patrimonium Romanæ Ecclesiæ tunc fuerit recuperatum, *communia servitia* vel *annatæ*, juxta taxam Romanæ curiæ, debite, ubi excessiva fuerit, moderandam, *sub honesta & tolerabili cautione*, summo Pontifici & Cardinalibus Dominis: Nec non *minuta servitia*, prout ante schisma, videlicet tempore quondam Gregorii XI. dictis Dominis Cardinalibus & Officialibus curiæ; *Medietas* scilicet *communium servitiorum* de prælaturis in fine primi, & alia medietas in fine secundi anni, post adeptam pacificam possessionem: De aliis vero beneficiis annatæ juxta taxam in fine primi anni *persolvantur*.

Annatæ quousque indulgendæ.

Minuta servitia quæ Curialibus Papæ concedenda.

Communia servitia quando solvenda.

Nec possint, etiam à volente, dicti *solutionis termini* præveniri.

Si tamen *bis* aut *pluries in uno anno prælatura* vel beneficium *vacaverit*, *non nisi semel* communia servitia ac minuta vel *annatæ* hujusmodi *persolvantur* [e].

De abbatiis autem monialium quibuscunque, nec non de minutis beneficiis, quæ non excedunt xxx. florenos in taxa, annatæ hujusmodi non solvantur.

Omnibus debitis annatarum, seu communium servitiorum præteritorum, totaliter relaxatis.

ARTIC.

(d) Vid. *Decretales Reformatorii Const.* supra *Parte XII. lib.* I. *tit.* 3. *c.* I. & *seqq. fol.* 671. *seqq.* Conf. *Zabarella Cardinalis*, supra *Parte IX. Cap. IX. f.* 521. *seq.* Cardinalis *Pisanus*, Parte X. f. 557. Et *Reformator. f.* 624. *seq. conf. Petrus de Alliaco*, supra *Parte VII. cap. III. f.* 280. 281. & *Cap. VI. f.* 282. *Cap. VII. ibid. Cap. X. Cap. XI. f.* 286. *seqq. Cap. XIIX. f.* 294.

(e) Vid. *Reformatorium*, Parte X. f. 624. Conf. *Zabarella* supra Parte *IX.* Cap. VII. fol. 516 & Cap. IX. f. 518. conf. *Parte XIII.* Cap. I. f. 761. seq. Cap. II.

ARTIC. VI.

De causis in Ro. Curia tractandis, vel non.

SUper *sexto articulo* videtur *dictæ Nationi*, primo, quod, sine rationabili causa & expressa, à modo non committantur aliquæ *causæ in Romana curia pertractandæ* cum tali *clausula: Non obstante, quod causa de sui natura in Romana curia non fuerit tractanda.*

Causæ civiles ad Ro. curiã non esse trahendæ.

Item videtur, quod non deceat, nec expediat, sedem Apostolicam *de causa mere profana* inter laicos, Romanæ Ecclesiæ temporaliter non subjectos, etiam prætextu *cruce signationis*, se intromittere quovismodo: Nisi illo *tempore generalis passagii*, quo forte illos eundo, stando vel redeundo, in subsidium terræ sanctæ morari contigerit: Nisi in casu *perhorrescentiæ*, duobus testibus ultra juramentum actoris probandæ, aut *negligentiæ* judicis secularis, legitime comprobatæ, vel nisi *de consensu partium* expresso.

Quæ causæ pecuniariæ ad Ro. curiã non spectent.

Item videtur, quod *causæ pecuniariæ*, etiam ad forum Ecclesiasticum spectantes, & summam quingentorum aureorum non excedentes, nec non *beneficiales*, summam XV. marcarum argenti, secundum communem æstimationem valoris antiqui non excedentes, *ad simplicem querelam* per sedem Apostolicam non committantur in Romana curia, etiamsi beneficium autoritate Apostolica collatum fuerit vel prætendatur.

Causæ matrimoniales, nisi raras, ad Ro. curiã non pertinere.

Item in *causis matrimonialibus*, quæ non fiunt inter personas sublimes, vel præpotentes, exceptis casibus perhorrescentiæ, & negligentiæ judicis inferioris, aut de consensu partium, ut superius continetur.

ARTIC. VII.

De Appellationibus ad Ro. Curiam.

Appellationes ad Ro. curiã esse restringendas.

SUper *septimo articulo* videtur primo, quod causæ, quæ *per simplicem querelam*, juxta præmissa in Romana curia non sunt tractandæ, *per appellationem extrajudicialem* ad sedem Apostolicam vel Romanam curiam devolvi non debeant, nec in ea in vim hujusmodi appellationis quomodolibet tractari.

Item, quia *multi gravantur* ex eo, quod *appellatur judicialiter* ad sedem Apostolicam *indifferenter*, omisso medio: Et quod appellatur à gravaminibus citra definitivam, quæ per appellationem possunt reparari: Dignetur Dominus noster *summus Pontifex circa hujusmodi gravamina providere.*

Item, quod nulla *appellatio à gravamine citra definitivam*, nisi ex legitima vel rationabili causa, in eadem expressa, in Romana curia non admittatur, sed frustratoria omnino repellatur: Ita, quod Romana curia de tali appellatione, per citationem, inhibitionem, vel aliàs, se nullatenus intromittat.

Item, quod *super appellatione ante definitivam sententiam* non fiat *inhibitio*, quousque constiterit, causam legitime devolutam. Et tunc de appellationis articulo ante omnia cognoscatur. Et si appellans in aliquo prædictorum defecerit, causa ad priorem judicem remittatur, deficiens in expensas litis & itineris condemnetur, & nihilominus, juxta personarum & causæ qualitatem, pro sua temeritate arbitrarie puniatur: Nisi de consensu partium aliter procedatur.

Item *ad tollendas calumnias* videtur expediens, quod quidem *appellans juret*, quod non dilationis, vel ad compositionem aut renunciationem inducendi partem adversam causâ, seu aliàs malitiose, sed, quia justam causam se fovere credit, appellet. Alioquin appellatio sit irrita ipso jure, & nullatenus admittatur.

ARTIC. VIII.

De officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ.

SUper *octavo articulo, de officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ*, videtur primo, quod *lites*, præsertim in causis beneficialibus, sint omnino *abbreviandæ*. Ne personæ Ecclesiasticæ, & patrimonium crucifixi, ad alios, quam pios usus, & prout cautum est in juris divini & humani sanctionibus, nec non in fundatorum & dotatorum dispositionibus, distrahantur.

Lites in Ro. curia esse abbreviandas.

Item, quod lite pendente non fiant *speciales commissiones*, alteri partium præjudiciales, nisi in consistorio publico partibus auditis.

Item, quod *personæ Officialium & salaria eorum* reducantur ad debitum numerum, & taxatione examinentur, & qualificentur juxta consvetudines & constitutiones antiquas: Prout etiam *in reformatoriis est avisatum*: (*f*) Specialiter in utroque officiorum prædictorum, distributis officiis officiorum prædictorum inter *suppositæ singularum nationum*, prout secundum bonam æqvitatem Sanctitati suæ convenientius videbitur expedire.

Item, quod *confessionalia* non adeò multiplicentur indistincte. Et ubi concessa fuerint, exprimatur, seu declaretur, illum duntaxat fore *idoneum confessorem*, qui habet exercitium curæ animarum.

De Confessionariis.

Item, quod *super peccatis penitus occultis*, quantumcunque gravibus sedi Apostolicæ reservatis, (*g*) detur potestas Archi-Episcopis, Episcopis locorum, ac Abbatibus, vel aliis Prælatis sedi Apostolicæ immediate subjectis, quoad exemtos sibi subditos duntaxat, in foro conscientiæ tantummodo absolvendis, & absolutioni committendis: Ut scilicet delinquentes ad confessionem facilius invitentur, & secretum confessionis eo minus reveletur, ac sigillum melius servetur.

De casibus sedi Apostolicæ reservatis in Episcopos transferendis.

ARTIC. IX.

De Exemptionibus, Incorporationibus, tempore Schismatis factis.

SUper *nono articulo* videtur, primo de *exemtionibus*, quod *omnes exemtiones à tempore schismatis factæ* (*h*) sine consensu Ordinariorum, seu parte non vocata, & causa non cognita, sint totaliter *revocandæ*: Et specialiter privilegia quorumcunque, derogantia constitutionibus: *Innocentii IV.* in Concilio generali, (*Sext. Decret. lib. 5. tit. 7. c. 1.*) & *Clementinæ*. (*Clementinarum lib. 3. tit. 7. De sepulchris. c. 2. Dudum.*)

Exemtiones, tempore schismatis ante Const. Conciliū factas, esse revocandas.

Et quod *de cætero exemtiones non fiant*, nisi ex rationabili, justa, vera & expressa causa cognita. Et aliter factæ viribus non subsistant.

Novas nō facile admittēdas.

Item videtur, quod Dominus noster sanctissimus reddatur attentus de & super *incorporationibus & unionibus* (*i*) Ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque, *à tempore schismatis* & citra factis, de causis commodis ac incommodis, utilitatibus, scandalis ac periculis eorundem.

Qvarum *aliqua* forsitan ex causis necessariis, justis ac rationabilibus, utputa in collegiatarum aut conventualium Ecclesiarum erectionem: *Aliæ* in universitatum generalium studiorum dotationem ac fundationem processerunt. *Aliqua* de Ecclesiis, quas laici in manibus suis diutius tenuerunt, sed non

Uniones Ecclesiarum ante Const. concilium factas esse ex diversis causis. Ad Academiarū usum.

(*f*) Vid. supra *Statuta Reformatorii*, Parte X. *Cap. VII. f. 596. seqq.*
(*g*) Vid. *Reformatorium*, Parte X. *c. XXX. f. 632.*
(*h*) Vid. *Reformatorium* Parte X. Cap. XX. f. 621. conf. *Zabarella* Parte IX. cap. XVI. f. 528.
(*i*) Reform. Parte X. cap. XXIII. f. 626.

non nisi certis religiosis locis donare jus patronatus voluerunt, quibus postea incorporatæ sunt, & nunc si revocarentur incorporationes, redirent ad laicos &c. *Nonnullæ* verò, ut præsumitur, *ex simoniaca pravitate: Aliquæ* ex levi aut parva causa: *Quædam* autem ex falsa imo nulla penitus rationabili subsistente causa aut necessitate, sed solius *ambitionis ac avaritiæ intuitu*, obtentæ creduntur.

Ex Simoniæ studio.

Ex Ambitione.

Ex quibus quidem *incorporationibus indiscretis* plura *pericula ac incommoda* provenire noscuntur.

Præsertim, quia ex residentia religiosorum, in Ecclesiis sic incorporatis extra monasteria sua commorantium, ipsorum *tepescit devotio*, & regularum *observantia relaxatur*, *numerus* etiam *ministrorum* ab antiquo institutus in ipsis monasteriis, ac *cultus divinus diminuitur*.

Damna ex frequentibus Ecclesiarum incorporationibus orta.

Insuper per easdem *Ecclesiarum reditus* adeo *diminuuntur*, ut non reperiantur *idonei*, qui se de cura earundem intromittere velint. Sed *idiotæ & ignari* ad regimen ipsarum plerumque assumuntur. Per quos animarum cura totaliter negligitur. Qvi etiam portionis exiguæ ipsis assignatæ *augmentum non petere*, juramentis aut aliis cautionibus compelluntur.

Dignetur igitur Sanctitas Sua circa *Unionem* præmissa *per revocationem* rationabilem *Ecclesiarum* providere: Et *ne in futurum fiant*, nisi ex causa justa, expressa atqve necessaria, causâ cognitâ, vocatisqve quorum interest: Qvodqve, si alias obtentæ fuerint, sint irritæ ipso jure.

esse revocandas.

ARTIC. X.

De Commendis.

SUper *decimo articulo* videtur, quod nulla cathedralis, conventualis aut parochialis Ecclesia, nec aliquod beneficium, curam habens animarum, aut dignitas in cathedralibus major post Pontificales, aut in collegiatis principalis, aut etiam hospitale, vel Xenodochium, aut alius locus pro hospitalitate fundatus, debeat sine manifesta, & rationabili causa, & expressa ac cognita, *non nisi ad certum breve tempus in commendam* alicui *assignari*.

De commendis restringendis.

Si tamen Romanus Pontifex de plenitudine potestatis vel aliàs secus duxerit faciendum, aut aliquid præmissorum commendandum, tunc saltem *provideatur non solum verbo, vel literis, sed etiam realiter in effectu, ne animarum cura negligatur*, (*k*) divinus cultus diminuatur, vel ruant ædificia, seu alia Ecclesiastica bona vel jura pereant, vel supprimantur, aut infirmi vel egentes sustentatione congrua defraudentur.

Et Ordinarii locorum autoritate Apostolica super præmissis providere habeant, etiam contra qvoscunque: Qvocunqve exemtionis aut majoritatis privilegio non obstante.

ARTIC. XI.

De fructibus medii temporis.

SUper *undecimo articulo* videtur *dictæ Nationi*, quod *fructus* beneficiorum Ecclesiasticorum, majorum & minorum, *vacationis tempore obvenientes*, omnino debeant *Ecclesiis & futuris successoribus* in hujusmodi beneficiis, *pro ipsarum Ecclesiarum opportunitatibus, & incumbentibus oneribus sublevandis reservari* (*l*): Nec deceat Romanum Pontificem aut alium quemcunque Apostolica aut alia autoritate tales fructus sibi usurpare vel attribuere quovismodo, nisi specialis aliqua, rationabilis causa contrarium induxerit, aut suaserit particulariter faciendum.

Medios fructus ex vacante officio sacro pro usu Ecclesiæ esse reservandos.

(*k*) Conf. Petrus de Alliaco supra Parte VII. cap. XXI. f. 296.
(*l*) V. supra Parte X. *Reformatorium*, cap. VIII. f. 612.

ARTIC. XII.

De non alienandis bonis Ro. Ecclesiæ.

Bona Ecclesiæ non esse dissipanda.

SUper *XIImo articulo* videtur expedire, quod quilibet Rom. Pontifex de non alienandis bonis & juribus Romanæ & aliarum Ecclesiarum promissionem faciat: Prout *in ultimo* fuit *reformatorio avisatum, ante electionem Romani Pontificis celebrato* (*m*).

Et ArchiEpiscopus, Episcopus, ac Abbates, sedi Apostolicæ immediate subjecti, sine licentia & autoritate Romani Pontificis alienantes deponant, ac capitula, & singulares personas eorum, quæ ad præmissa assensum præbuerunt, sic puniant, quod cæteris transeat in exemplum.

ARTIC. XIII.

Propter quæ & quomodo Papa possit corrigi & deponi.

Ob Heresin: Simoniam: Et Quodlibet notorium crimen grave.

SUper *decimo tertio articulo* videtur, quod summus Pontifex non solum *de hæresi*, sed etiam *de simonia notoria* tam circa sacramenta, quam circa beneficia Ecclesiastica, & *quolibet alio notorio crimine gravi*, Ecclesiam universalem notorie scandalizante, de quo canonice monitus incorrigibilis extiterit, *per generale concilium* puniri valeat, ac *deponi etiam de papatu* (*n*).

Item videtur, quod sanctissimus Dominus noster, *sacro approbante concilio*, specialem *constitutionem* super hoc, quod præmittitur, *declaratoriam* debeat promulgare, & insuper declarare, (quod) nedum circa sacramenta, sed etiam circa beneficia Ecclesiastica *conventionem seu pactionem pecuniariam* per se vel alium faciendo *crimen pravitatis Simoniacæ* non evadat &c.

ARTIC. XIV.

De extirpatione Simoniæ.

Simoniæ esse medendum.

SUper *decimo quarto articulo* omnino videtur, *quoad futuram Simoniam vitandam* pœnis gravissimis providendum, sive in Romana curia, sive extra illam contingat perpetrari, juxta *avisata in reformatoriis hujus concilii generalis.* (*o*)

De Simonia autem præteritis temporibus sive in ordinibus, sive in beneficiis, aut aliis sacramentis Ecclesiasticis, vel circa quæcunque spiritualia, seu spiritualibus annexa, quocunque modo jam contracta, propter multitudinem delinquentium & superiorum negligentiam, *mitius, saltem in foro conscientiæ, est agendum*, abolendo scilicet maculas præteritas, & de beneficiis & ordinibus viros Ecclesiasticos in suis titulis justificando, & male percepta penitus remittendo &c.

ARTIC.

(*m*) Vide supra Parte XI. in *Reformatorii Decretis* Cap. V. f. 656. Conf. Parte VII. cap. xx. f. 296.

(*n*) Supra Parte XI. in *Reformatorii Decretis* Cap. VI. f. 657.
V. Parte X. in *Reformatorii Statutis* Cap. VI. f. 594. conf. supra Parte V. Gerson. cap. x. f. 89. 90.

(*o*) Supra Parte X. in *Reformatorii Protocollis*, cap. IV. f. 593. & cap. xxvi. f. 628. Et Parte XI. in *Decretis Reformatorii*, cap. x. f. 661. Et Pate XII. in *Decretalibus Reformatorii*, lib. 5. tit. 2. cap. 1. seqq. f. 739.

ARTIC. XV.

De Dispensationibus.

Improbata dispensationes Super incompatibilibus, Super defectu ætatis, Super defectu natalium.

SUper *quinto decimo articulo* videtur, quod *dispensationes super incompatibilibus*, de non promovendo ad ordines, *super defectum ætatis*, super *defectum natalium*, de non referendo, super *contrahendo matrimonium in gradibus prohibitis*, & non suscipiendo munus consecrationis aut benedictionis, aut non obstantibus aliis, *non* sint *deinceps* nisi ex evidenti, seu notoria, rationabili & expressa causa, consideratis differentiis & statibus locorum, temporum, & personarum, cum magna gravitate & matura deliberatione per sedem Apostolicam *facienda*, juxta ea, *quæ de his sunt in reformatoriis avisata.* (p)

Et *de obtentis* provideatur, easdem moderando secundum bonam æquitatem, prædictis circumstantiis ponderatis.

ARTIC. XVII.

De Indulgentiis.

Indulgentiæ exorbitanter concessæ.

SUper *decimo septimo articulo* videtur, quod *indulgentiæ exorbitanter concessæ* tempore schismatis, *continentes remissionem omnium peccatorum*, vel factæ *ad instar* &c. sint penitus revocandæ, juxta *avisata in reformatorio primo hujus concilii generalis* (q): Quodque deinceps tales non nisi ex maxima causa concedantur, cum expressione qualitatum & circumstantiarum opportunarum.

ARTIC. XVIII.

De Decimis.

Decimas non imponendas.

SUper *ultimo articulo* videtur, quod tales *decimæ* non sint nisi *ex consensu generalis Concilii* ex causa maxima imponendæ &c. (r)

Prædicta etenim *Natio Germanica* protestatur, quod per dictas petitiones non intendit, nec vult recedere à *Decretis Concilii*, atque *Capitulis Narbonæ concordatis.* Super quibus &c.

GUMPERTUS FABRI
Notarius Nationis Germanicæ
scripsit
de mandato
PRÆSIDENTIS
& Nationis antedictæ.

(p) Sup. Parte X. in *Reformatorii Protocollis*, cap. x. xi. xiii. xv. xvi. f. 614. seqq.
(q) Vid. supr. Part. XII. in *Reformatorii Decretalibus*, lib. 4. tit. X. fol. 751.
(r) Sup. Parte X. in *Reformatorii Protocollis* cap. xviii. f. 620.